

Georg Detharding

**Programma, Qvo Rector Academiae Rostochiensis, Georg. Detharding, Med.
Doct. & Prof. Publ. Ord. ... Ad Festum Valde Gloriosum S. Michaëlis Archangeli,
Seria Meditatione De Imitandis Virtutibus Angelicis Transigendum, Omnes
Omnium Ordinum Cives Academicos ... hortatur**

Rostochii: Typis Io. Iac. Adleri, [1729?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn876767064>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1729. Michael.

~~M-1256.~~ 204.

Mich. 1729.

PROGRAMMA,
 QVO
 RECTOR ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS;
GEORG. DETHARDING,
 Med. Doct. & Prof. Publ. Ord. totius
 Acad. Senior,
 AD
 FESTUM VALDE GLORIOSUM
S. MICHAËLIS
ARCHANGELI,
 SERIA MEDITATIONE
 DE
 IMITANDIS VIRTUTIBUS
 ANGELICIS
 TRANSIGENDUM,
 OMNES OMNIUM ORDINUM
 CIVES ACADEMICOS
 Ea, qua valet pietate atque sollicitudine
 hortatur.



R O S T O C H I I,
 Typis IO. IAC. ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD.
 Typographi.

M. 1256 204



* * * * *



Convenimus, *Cives Optimi*, dum Festum Pentecostes pronuper erat concelebrandum, ut spreta sive in scribendo, sive in legendo curiositate, meditatione seriarum adhortationum vitam emendantium, in Programmatibus festivis reperiundarum tempus festivum

transfigeremus; in quem finem aliquod ex antiquioribus, & quidem circa initium seculi elapsi conscriptum desiderio vestro obtuli: Denuo volunt Statuta *Almæ hujus*, ut instans Festum *Michaëlis* devote colendum vobis omnibus & singulis commendem; imo jam jam in eo eram, ut de monitis & verbis huc facientibus circumspicerem: quando quis aurem velligando infusurrabat: qui modo stylo *Corhmanniano* Civibus

vibus tuis te præbuiſti fidelem Hodogetam , perge calamo *Fechiano* idem tentare , quo undique conſtet , quam circa initium & finem ſæculi elapſi unum & commune Rectoribus Magnificis fuerit in hortando ad feſta ſincera ſanctitate , devoto obſequio , modèſtia DEO hominibusque grata , celebrandi officium. Anni tanto promptius , quanto magis obſervabam , me omnibus viribus meis haud æquaturum illud , FECH-
TII quondam noſtri , in dicendo robur , illam Ejus in ſtylo elegantiam , illum ſuum in pietatis ſtudio fervorem ; ex quo , & dum in vivis erat , & poſt fata aſſociatus eſt Trigæ Heroum Davidis cœleſtis . Ita vero Bellator ille divinus :

Non aliam ob cauſam ſanctorum Angelorum Feſtum à venerabili antiquitate inſtitutum eſſe credendum eſt , quam ut eorum virtutes enarrando ad illarum imitationem incenderemur . Planè ut ſanctorum martyrum , aliorumque beatè defunctorum memoriam non idè agimus , ut eodem religioſo honore colamus , ſed ut virtutes ipſorum exemplo noſtro exprimamus . Id diſertè inculcat Paulus : *mementote ductorum veſtroꝝ , qui locuti ſunt vobis verbum DEI , quorum inſpicientes exitum converſationis imitamini fidem* . Angelos vero non minus ac ſanctos , hinc decedentes , ad imitandi æmulationem nobis propoſitos eſſe , vel Dominica , quam quotidie recitamus , oratio docere nos poteſt , in quâ precamur : *Fiat voluntas tua , ſicut in cælo , ita & in terrâ* . Quos enim alios interpretabimur , qui voluntatem DEI in coelis faciant , niſi Angelos ? Ad Angelorum ergo exemplum nos attollit Chriſtus , eosque doctores noſtros conſtituit , ut eorum intueamur virtutes , factisque eas noſtris repreſentemus . Agite itaque , optimi Cives , cumque Angelorum inſtet feſtum , oculos veſtros ad immaculatos hos nobiſſimosque

lissimosque Spiritus convertite, & quas quantasque res discere ab iis conveniat, mecum confiderate.

Prima princepsque virtus, quæ reliquas in se omnes complectitur, universarumque fundamentum est, quâ ab ipsâ origine suâ inclaruerunt Angeli, obedientia est, quam creatori suo ita sincerè, ita pertinaciter, ita constanter præstiterunt, ut cum Angelorum myriades, superbâ præsumptione contra DEUM rebellantes, ab ipsius obsequio deficerent, immoti illi petræ instar constiterint, præmium ideò obsequii sui, interminabilem glóriæ coronam, adepti.

Non ullibi, quam in Rep. Academicâ magis necessaria est obsequii religio. Vivunt in illâ homines, summæ libertati adfveti, quosque, si exorbitent, ægrius coercere queas, quam fluctus maris, ventorum immani impetu agitato. Reperiuntur in tanto civium numero mala quædam dæmonia, tenebrarum nempe noctiumque filii, pergræcari tantum & bacchari edocti, qui boatibus, digladiationibus, cadibus, turbis adfueti, Magistratum legesque superbè contemnere, aliosque in scelerum consortium pertrahere didicerunt. Hic nisi obsequii gloria bonos in officio contineret, clades Reip. irreparabilis inferretur. Hi verò memores, in quod exitium inobedentiæ crimen malos Angelos præcipitaverit, bonorum Angelorum indolem induunt, malorum consortium & seductionem summo studio fugiunt, obsequio denique & legum observantiâ ita eorum, qui ipsis præsumunt, animos demerentur, ut & præmia ipsis decernant amplissima, & iis, penes quos ad summos honores illos evehendi arbitrium est, omni occasione commendent. Hanc itaque virtutem, ô Cives, quocunque loco consistitis, quicquid in Academiâ agitis, & oculis vestris & menti objicite. Miserunt huc vos, tanquam ad bonarum literarum, virtutumque mercatum Parentes vestri, jusserunt pretiosissimi temporis horas non computationibus, non ignavo otio,

otio, non rixis jurgiisque cum commilitonibus vestris recipiendis, sed legendis libris & audiendis doctorum lectionibus consumere; idem vobis dederunt in Academicis legibus, ad quas fidem vestram adstrinxistis, mandatum Præceptores vestri; hic Angelicâ, imò Divinâ virtute, obsequio, opus est. Si lecti somnique vos ita occupaverit amor, ut sole conclavia vestra mane illuminante, nec surgere ad volvendos libros, nec ad privatas publicasque Scholas pedem movere velitis, aurea vox: obsequium, auribus vestris infonet & somnum ex oculis excutiat. Si Academicarum pestes, Bachi, Venerisque aqualiculi vos, nondum consilio & ratione firmatos, ad eas pelliciant res, quibus ætas vestra capi & deliniri possit, obsequium DEO, Parentibus, doctoribus debitum, è vestigio vos abstrahat, inque ordinem reducat. Si quando liticula vobis cum amico intercedat, metusque sit, ne ab altercatione progressi certamine irarum ad cades vertamini, obsequium cohibeat manus vestras & amicitia vos vinculo illibatos connectat. Obsequio & studiorum vestrorum constat salus & nominis vestri decus & vitæ vestræ incolumitas.

Nec verò obedientiam suam invito reluctantiq̃ animo, utpote poenæ formidine, sed spontaneo motu, aut in re du taxat unâ alteraque, sed quorsumcunq̃ Divinæ se voluntatis arbitrium extendit, promptissimè alacriterque Angeli præstant.

Id ergo nobis faciendum esse, quî Angelorum consortes esse cupimus, meminerimus. Eloquamur hoc Chrysoſtomi, melleo ore doctoris, verbis: Sicut in celo omnia sunt libere & non in his quidem obtemperant Angeli, in aliis verò immorigeri sunt, sed voluntati cedunt Divinæ & in omnibus obsequuntur; potentes enim, inquit, virtute, facientes verbum ejus; sic nos, ô DEus, effice dignos, qui non ex dimidio, sed prorsus ex integro ea, qua in tuâ sunt voluntate, faciamus. Integrum nempe, non dimidiatum in obeun-

dis quoque studiis nostris officium requiritur. Non legendi sunt aliquando libelli & doctorum auscultatio, sine quâ ad veram eruditionem neminem penetrare posse etiam antiquis creditum fuit, negligenda est. Non ingenium variarum scientiarum ornamentis imbuendum & animus pietate probitateque vacuus relinquendus est. Non vitanda sunt prava convitiis inter se & velitationibus & clamoribus & disceptationibus, à quibus ad gladios plerumque & manus pervenitur, certantium consortia & in luxuriâ è contra atque lasciviâ, inque turpi sequioris sexus comitatu, quæ res plurimis exitium attulit, molliter delicateque vivendum est. Universis vitiis nuncium mittere & cunctas virtutes amore complecti oportet.

Eminet autem inter cæteras Angelorum virtutes omnes Divini nominis & agnitio & celebratio. Est hæc ita coelestibus his Spiritibus propria, ut huic quasi uni operi summâ cum animi sui contentione & voluptate dies noctesque incessanter atque indefinenter incumbant. Vix vastum hujus mundi opificium in lucem exierat, cum Jobo dicente spectaculi stupore correpti, ad singula, quæ fiebant, iteratis faustis acclamationibus conditorem prosequerentur. Erant hæc Divinorum cantuum auspiciatissima natalia, hæc alterne modulationis, quâ postea Trinum in unitate Numen, trisagion ei suum occinentes, perpetud coluerunt, regalia prorsus ac dignissima incunabula. Nec cessarunt hoc officio defungi, cum reparatâ à DEO rerum universitate, justitiae solem, Christum JESUM, ex sanctâ virgine tanquam ex abyssu exortum videntes exclamarunt: gloria in excelsis DEO. Quæ dum considerat, denuo Ecclesiæ suæ cœtum alloquitur Chrysostomus: In supernis exercitus angelorum canunt gloriam, in terris homines in Ecclesiis choros agentes, ad illorum exemplum eandem canunt

canant gloriam. In supernis, Seraphim ter sanctum illum hymnum resonant; in terris eundem hominum promat multitudo, communiterque tum coelestium tum terrestrium plaudat celebritas, una gratiarum actio, una exultatio, una benevolentis gaudemisque chorea statio. Hic divini nominis cultus non in alio quocunque vitæ genere eminentius se prodere, quam in literario, debet. Quoties ad libros tuos accedis, vel Divinarum ex iis rerum notitiam, vel scientiam juris & æqui, vel conservandæ prorogandæque vitæ humanæ artem, vel denique humanæ sapientiæ thesauros hausturus, utrum felicem tibi promittere poteris successum, nisi DEum tuum, à quo omne bonum desuper est, in auxilium invocaveris, defunctus verò labore nomen ejus laudaveris celebraverisque? Ah utinam Angelicam hanc virtutem, quoties lectioni admovemus oculos, sanctâ cum devotione exerceremus: quam salutare inde in Remp. & Ecclesiam redundarent fructus! Cum destitutam divinâ benedictione eruditionem, quantumlibet ad miraculum usque; exactam, parum communi publicæque vitæ adjumenti adferre; ipsâ experientiâ edoceamur.

Angeli dum DEO serviunt, summâ reverentiâ & humilitate hunc illi cultum præstant. Sedet Rex Regum stellato solio, circumdante innumerabili & ineffabili beatorum spirituum exercitu. Hunc adorantes circumvolitant, huic flebant cum tremore genua sua, in hunc oculos mentemque venerabundi desigunt.

Quid es, ô homo, collatus ad angelos? Quantâ ergo cum reverentiâ, quanto timore, quantâ illuc humilitate accedere debet, à palude suâ procedens & repens ranuncula vilis: Cum in templum concedis, quod Divinæ majestatis sedes est, vide ne ad momentum tepescat affectus, distrahatur animus, aut dormitet oculus. Non nosti, coram quo domino consistes? Non te puteat irreverentur psallere, inutiles cogitationes aut
confa-

confabulationes tractare & corde torpescere? Depone coram
 cœlorum Rege, quicquid sordidum, quicquid deforme, quic-
 quid incompositum est. Assiste & tremebundus & supplex &
 sollicitus & toto intentus animo majestati gloriæ ejus, in præ-
 sentiâ Angelorum, in concilio justorum & congregatione.

*Angeli ut Spiritus sunt nobilissimi & admiranda gau-
 dent rerum cum sacrarum tum profanarum scientia, spiritum
 tamen non gerunt, aut arrogantiam intumescunt. Angelis bonis,
 ait, Augustinus, omnis corporalium temporaliumque rerum scientia,
 quâ instantur demones vilis est; non quod earum ignari sint, sed quod
 illis DEI, quâ sanctificantur, charitas cara est; præ cujus non tantum
 incorporali, verum etiam incommutabili & ineffabili pulchritudine, cu-
 jus sancto amore inardescunt, omnia, quæ infra sunt, ipsis non sunt, se-
 que ipsos, inter illas contemunt, ut ex toto, quod boni sunt, eo ho-
 mo, ex quo boni sunt, perfuantur.*

O utinam, Cives, solius DEO amore ita incendere-
 mur inflammaremurque, ut illum solum in sinu, in deliciis
 haberemus, ut teneremus omnibus horis, oculis, auribus,
 complexu. *Qui non diligit, ait Apostolus, non novit DEUM.*
 Quid est omnis rerum mundanarum scientia, si destituatur
 charitate DEI? Gladius in manu furiosi. Rectè igitur iterum
 Augustinus: *scientia ad finem charitatis adhibita, multum est uti-
 lis, per se autem ipsam sine tali fine, non modo superflua, sed etiam per-
 nitiosa probata est.*

*Angeli tam concordibus juncti sunt pectoribus, aut unâ
 quasi animâ vivant, unâ mente. Non invidia agitantur
 stimulis, non livore & obtreptione contabescunt, non in-
 festo inimicoque odio conflictantur. Pax inter eos alta est,
 nec ullo nunquam casu violata.*

Hic, ô animæ, bonis studiis dicatæ, præcipuè habetis,
 quod exprimatis imitatione. Conjunxit vos idem literarum
 amor,

amor, eadem studiorum societas. Quid itaque nunc contentione, nunc ambitione fitil discordes? Quid per dissensionem altercationemque pericula vobismetipsis & caedes creetis. Nonnunquam ex levi causâ quæ orta est, serpit similtas, degenerat in graves ac de testandas inimicitias, hæ vertuntur in furorem & sanguis, ô scelus, profunditur. Est in humanâ vitâ triplex quædam Respublica. Una eorum, quos natura ad frivam & aratrum damnavit; hanc brutorum vocaveris. Altera illorum, qui civilibus negotiis distinentur; hanc dixeris hominum. Tertia denique eorum, qui liberalium scientiarum vinculo conglutinantur; hæc Angelorum nomen sustinere meritò debebat. Et vos, cum Angeli sitis, odia inter vos favebitis capitalia, sanguine manus vestras commaculabitis, ex Angelis in bruta convertimini? Bestiarum est, sanguinem sitire, bellum cum sui similibus gerere, rixis jurgiisque interminabilibus involvi. Hanc itaque pestem ô boni, fugite. Studiosi sitis otii & rerum tranquillarum, fraterna unanimitate æternum coalescatis. Quid pace optabilius? Quid animorum consensione generosius?

Postremò Angeli frequenti virtutum exercitio eam benè recteque agendi absolutionem & perfectionem consecuti sunt, ut nec si velint, transilire lineas aut peccare possint. Quæ de re Augustinus: Angelica, inquit, sublimis natura non peccat, quia ita particeps est legis æternæ, ut solus eam delectet DEUS, cujus voluntati sine ullo experimento tentationis obtemperet.

Ad hanc perfectæ cumulataque virtutis metam & nos contendamus, Cives. Quæcunque nobis peccati adblandiatur occasio, eam forti animo reprimamus. Ubi cunque dæmonum astu ad fæda vitiorum dedecora sollicitamur, DEUM vos offendere non posse aut debere e vestigio recordemur. Si à confectâ & undique expletâ pietatis, honestatisque formâ excludamur, saltem eò annitamur omnibus viribus, ut semper perfectiores reddamur. Est hodie hominum genus, quod

B

vol-

vulgò Pietistas vocamus. Hi dicuntur eam à Christianis requirere sanctitatis perfectionem, quæ Angelicæ vel super sit vel non multum ab ea remota. Plurimi ut hoc hæresos crimen effugiant, studiosissimè cavent, ne ad illum perfectionis gradum perveniant. Malunt itaque dæmonum virtutes confectari & criminum quorumlibet scelerumque cæno collutulari, ne Perfectistæ forte & Pietistæ efficiantur. Fuit & olim secta quædam, *Angelorum* nomine celebrata, cujus meminit Epiphanius & Augustinus; unde verò nomen traxerit, an ab Angelorum cultu, (qui hæretici ideò in Concilio Laodiceo sunt reprobati) an ab eo, quod mundum ab Angelis conditum esse docuissent, quæ aliorum hæreticorum fuit opinio; an potius, ut loquitur Epiphanius, quod in Angelicum sese ordinem arroganter referrent, atque excellentem quandam vitæ rationem insisterent, pro comperto se asserere non posse profitetur idem Epiphanius. Non ideò introeundum nobis in Angelicum ordinem est, Cives, si Angelis similes reddi cupimus. Non mentienda nobis est Angelica perfectio, ut ad perfectionem qualemcunque, quæ in hac infirmitate obtineri potest, adspicere. Semper ulterius contendendum est, quia semper Apostolo monente crescendum nobis est, quamquam eò eniti non possimus, ut crescere amplius nequeamus. Quamobrem in hac vitâ ubique opera nobis danda est, ut Angelorum virtutes imitemur, quia nisi id fecerimus, in alterâ vitâ nunquam *ισάγγελοι* seu Angelis pares futuri sumus. Ut Angelorum aliquando socii reddamur, Angelorum nobis mores induendi sunt. Hos enim solos approbat DEUS, hi unicè eidem placent. O si olim omnes singulique purissimo Angelorum cœtui immixti, DEUM, Angelorum hominumque conditorem, Angelicis labiis laudem gloriamque interminabilem eidem occinentes, coleremus & celebraremus! Id faxit supremum Numen benedictum in omnibus & super omnia, in nunquam finienda seculorum secula!

Percepistis, *Cives* singulariter dilecti! quot verbis FECHTIUS, quondam Theologus strenuus, Vos ad vitam virtuosam

Ange;

Angelorum instar agendam; quot argumentis a veritate in Sacris Pandeſtis revelata deſumptis; quot rationibus futura bona, hâc vitâ peractâ, exſpectanda ſerio inculcantibus uſus ſit, ut mentem piorum confirmaret, impiorum à commercio cum operibus fatanicis detraheret. *Ille* jam verè angelicam vitam agit, glorioſe collocatus inter hos, qui multis viam ad ſalutem monſtrarunt; nec dubium eſt, quin gavifus ſit de his è noſtro ordine, qui ſua monita angelicâ cordi habuerunt, hinc vinculis corporis & peccati morte ſolutis, regnum coelorum ingreſſi ſunt. Exſpectat adhuc nos omnes & ſingulos, ut participes ſimus gaudii angelici & focii canticorum coeleſtium. Agamus ergo! Queis nos inter, qui Diribitor honorum eſt, *Docentium* ſpartam benigne conceſſit, hi ſint *Angeli*, boni nuntii, & verbis & factis interruptim teſtantes, quam glorioſum, quam fructuoſum, pietati litare, quæ habet promiſſionem hujus & futuræ vitæ; nec vel ſemel admittant, quæ obmuteſcere faciant; quorum vero eſt ex gratia divina hæc felicitas, ut ad pedes Gamalielum confidente informari queant de methodo angelicam vitam agendâ, & ad pios mores Præceptorum ſuorum ſe componendi, hi gaudeant de bono hoc communi, tentent indies magis magisque fieri *ἰταγγελοί*. Extollebat quondam malorum angelorum Primipilus vocem, quæſitus de numero miſellum illum hominem vexantium, clamando: *illorum eſſe Legionem*. O! quam longe ſuavior foret vox, ſi Alma noſtra interrogata, de numero ſtudioſorum probrorum DEO placentium & hominibus acceptorum, reſpondere poſſet, numerum horundem eſſe innumerum. Non exſpectandum equidem à fragilitate humana, ut irrefragabiles nobis ſimus, quamdiu mortales; aſt commendatum tamen nobis ſit *Angeli* iſtius in gentilium ſalutem miſſi PAULI eſſatum, qui libero animo, in medio adverſariorum, quæ poſſent, culpantium, ſaſtus eſt: *Se ſe ipſum exercere, ad conſcientiam habendam ſine offenſa apud DEUM & apud homines ſemper*. Fuit *Angelus* iſte, quum hæc protulit, homo, nec hoc


humani, ut peccaret, à se alienum putavit; nihilo tamen minus ex plerophoria nisuum sacrorum in verba ista erupit. Allaboremus, ut, quantum in nobis, vestigiis istis vere Angelicis insistamus. Eandem, quam ille habuit, promissionem de gratia Divina assistente jam in Baptismo nobis factam esse, quis est, qui non fiducia plenus sibi in memoriam revocat? En aliüs *Angeli* à DEO missi, divi PETRI parænesin: *Ex eo, quod maxima nobis & pretiosa donavit, ut per hæc efficeremini divinae consortes nature, elapsi ex corruptione, quæ est in mundo per cupiditatem. Ad hoc ipsum vero vos omni præterea collato studio adjicite fidei vestrae virtutem, virtuti vero notitiam, Notitia vero continentiam, continentia vero tolerantiam, tolerantia pietatem, pietati vero fraternum amorem, fraterno vero amori charitatem. Sed adhortationum angelicarum satis! Nihil restat, quam ut ruminando illud plus ultra, quod milites ad strenue pugnandum stimulat, manibus pedibusque in eo simus, ne quis nos facile in imitando Angelos vincat. Spectatores hi spiritus coelestes serunt, in gaudia & triumphos proni, si vicerimus nosmet ipsos; tum quoque sub amicitia & blanditiarum specie tranquillitatis conscientia hostes, imo beatitudinis promissa fures. Tandem, & forsitan non ita diu, de victoriis quotidie obtentis, cum istis læte colloquendi dabitur occasio.*

Valete!

P. P. sub Sigillo Rector. Acad.

Die Michaeli sacro
Anno M D C C X X I X.





Angelorum instar agendam; quot argumentis a veritate in Sa-
cris Pandectis revelata desumptis; quot rationibus futura bona
hâc vitâ peractâ, expectanda serio inculcantibus usus sit, u-
mentem piorum confirmaret, impiorum à commercio cum
operibus fatanicis detraheret. Ille jam verè angelicam vitam
agit, gloriose collocatus inter hos, qui multis viam ad salu-
tem monstrarunt; nec dubium est, quin gavisus sit de his
nostro ordine, qui sua monita angelica cordi habuerunt, hin-
vinculis corporis & peccati morte solutis, regnum coelorum
ingressi sunt. Expectat adhuc nos omnes & singulos, u-
participes simus gaudii angelici & socii canticorum coelestium
Agamus ergo! Queis nos inter, qui Diribitor honorum est
Docentium spartam benigne concessit, hi sint *Angeli*, boni nun-
tii, & verbis & factis interruptim testantes, quam gloriosum
quam fructuosum, pietati litare, quæ habet promissionem
hujus & futuræ vitæ, nec vel semel admittant, quæ obmute-
scere faciant; quorum vero est ex gratia divina hæc felicitas
ut ad pedes Gamalielum confidendo informari queant di-
methodo angelicam vitam agendi, & ad pios mores Præce-
ptorum suorum se componendi; hi gaudeant de bono ho-
communi, tentent indies magis magisque fieri *ισαγγελος*
Extollebat quondam malorum angelorum Primipilus vocem
quæsitus de numero misellum illum hominem vexantium
clamando: *illorum esse Legionem*. O! quam longe suavior fe-
ret vox, si Alma nostra interrogata, de numero studiosorum
probrozum DEO placentium & hominibus acceptorum, re-
spondere posset, numerum horundem esse innumerum
Non expectandum equidem à fragilitate humana, ut irre-
fragabiles nobis simus, quamdiu mortales! ast commenda-
tum tamen nobis sit *Angeli* istius in gentilium salutem missi
PAULI effatum, qui libero animo, in medio adversariorum
quæ possent, culpantium, fassus est: *Se se ipsum exercere, a
conscientiam habendam sine offensa apud DEUM & apud homines sen-
per.* Fuit *Angelus* iste, quum hæc protulit, homo, nec ho-

B 2

humana

